frequenter insudabat, extenuatis[d] viribus accedente febre sub anno domini 1362 die septembris 15. in Colonia est defunctus. In lecto autem[e] egritudinis adhuc vivens ipse distribuit in prompta pecunia magnas et notabiles summas ecclesiis[g], servitoribus et amicis. Et quod dignum[h] memoria non est pretereundum, idem venerabilis pontifex sicut in vita sic et in morte de statu et salute ecclesie[k] sollicitus, dum infirmus decumberet, vocatis ad se consiliariis[l] et amicis nominavit personam, que sibi videbatur ad futurum regimen ecclesie profutura, prepositum maioris ecclesie Wilhelmum de Sleda[n][73], rogans ut ipso defuncto ad Romanam curiam accederet et pro consequendo pontificatu ecclesie apud summum pontificem[o] laboraret. Sciebat namque, quod obstante reservacione provisionis ecclesie[q] iam facta[r] non posset ecclesie nisi per provisionem sedis apostolice provideri. Et ut ipse eundem prepositum ad pro consequendum huiusmodi propositum redderet promptiorem, donavit eidem adhuc vivens in parata et numerata pecunia 5000 florenorum auri ad expensas.

quibus propter zelum commisse sibi ecclesie incessanter estuabat, viribus extenuatus febre tactus anno incarnacionis dominice 1362 mensis[f] septembris die 15. (pontificatus sui anno 13.) in Colonia in pace est defunctus, sepultus in tumba, quam adhuc vivens ipse sibi construxerat infra chorum ecclesie sancti Petri de puro marmore albo ~~atque~~ et nigro[i], structure mirabilis et sculpture. Ad quam eciam honorifice cum decenti processione, ut decuit, per nobiliores fideles et cives Colonienses pociores suos[m] cum ingenti ululatu et fletu fuit delatus. Cuius quidem tumbe consimile paraverat supra sepulturam domini Walrami predecessoris sui, quarum precio et opere hodie apud nos non consistunt. In lecto itaque egritudinis notabiles pecuniarum summas distribuit maiori et ceteris collegiatis[k] ecclesiis, familiaribus et amicis, relinquens nichilominus ecclesiam absque debitis opulentam, castra et promptuaria ecclesie vino frumento et blado, victualibus et necessariis bene instructa, et pro sui conservacione futura ita, ut ex hoc eructarent in illud, habundantissime communita. Qualiter autem tanta rerum

d) extenuatis 4.4'.4". e) autem deest 2. f) mense 5. g) ecclesie 4.4'.4". h) digna 4'.4". i) nigruo 5. k) eccl. sal. 2. l) conciliarius 1. m) ita 5. n) Bleda 1.4'.4". Wilhelmum de Bleda deest 2.4. o) pontificum 4.4'.4". p) ita 6. civitatis 5. q) ipsius ecclesie 2. r) facte codd.

73] Wilhelm van der Sleyden domproyst 1360 ap. Lac. III, p. 505.